

# **QUOMODO CORPORIS**

CONDITIONES IN FORMAS INSANIAE ET PRIMARIAS ET  
SECUNDARIAS VALEANT.

## **DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

**FRIDERICA GUILELMA**

UT SUMMI

**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**FRANCISCUS HUBERT. FUNCKE**

RHENANUS.

---

OPPONENTIBUS:

S. KRAAPP, med. et chir. Dr.

H. PESCH, med. et chir. Dd.

A. WIRTZ, med. et chir. Dd.

---

**BEROLINI,**

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

M

MED  
GUST  
SUPP  
CUM  
DOS  
DIRE  
SOC

VIRO

ILLUSTRISSIMO, PRAECLARISSIME DE SE MERITO

**MAX. CAR. WIG. JACOBI,**

MED. ET CHIRURG. AC PHILOSOPHIAE DOCTORI, AUGUSTISSIMO REGI A CONSILIIS REGIMINIS ET MEDICIS SUPERIORIBUS, EQUITI AQUILAE RUBRAE IN III CLASSE CUM LEMNISCO, NOSODOCII PROVINCIALIS AD CURANDOS MENTE ALIENATOS, QUOD SIEGBURGI EST, DIRECTORI, ACADEMIAE REG. MEDICA PARISIENSIS, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE AD RHENUM INFERIOREM, SOCIETATIS BEROLINENSIS AD REM MEDICAM IN BO-RUSSIA PROMOVENDAM SODALI,

**ATQUE**

VIRO

CLARISSIMO, CARISSIMO

**DR. FOCKE**

MEDICO PRIMARIO MOROTROPHII SIEGBURGENSIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATISSIMOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

**D**issertationis materiam e psychicis praecipue morbis quaerendi consilium ideo potissimum cepi, quod, quum quadriennio academico absoluto per nonnullos menses in morotrophio Siegburgensi versatus essem, mentis alterationum inquisitio maxime me invitabat earumque studium magis magisque delebat; primum enim semper clarus patebat, perturbationes et somaticas et psychicas ita omnino conjunctas esse, ut altera ex altera exoriatur. Verumtamen eo non pertinent consilia mea, ut tiro non nisi elementis medicae artis imbutus, fortasse materiam copiosiorem hujus scientiae amplioris atque difficultoris, de qua viris clarissimis et doctissimis saepe maximae placent controversiae, anquiram, aut sententias plane theoreticas omnino perspicere et probare velim; sed theses nonnullas una cum exemplo quodam conjungere studebo, quod in arguento, primarias mentis alienationum formas atque secundarias eandem ducere originem ex perturbatis corporis ipsius conditionibus, explanando plurimum valet. — In hacce enim medicinae parte minus adhuc culta semper studiosissime exempla respicienda videntur, et quum magna perturbationum

psychicarum copia majorque causarum numerus medico offrantur, semper apparet summum officium, ut rejecta omni doctrina incerta, experientia jam aliis ex casibus hausta horrendas illas atque immensas corporis humani perturbationes quam celerrime avertamus et miseriam tristissimam sublevemus. Quomodo quidem de designatione perturbationum psychicarum judicia magnopere jam discrepant, eodem de causis illarum alii aliter sentiunt. Eorum tanquam sententiam commemorem, qui mentem ipsam ex psychicis impressionibus et ira et moerore in morbum incidere posse contendunt, quum tamen plurimi, qui curandis morbis psychicis operam dant, corpus semper causis aut psychicis aut somaticis aegrotare affirment, priusquam animus perturbari possit; nam causae quoque psychicae primum cerebri, vel potius systematis nervorum materiam ipsam alterant, qua quidem propter morbum alterata et corrupta mentis aberratio evadit. Quamquam igitur experientia doctus hinc non discedo, attamen non exspectes inter systemata somatica, quae dicuntur, me doctrinam Brownianam, vel irritationis ad explanandas animi alienationes a permultis amplificatam hoc loco defendere animo constituisse. Argumenta irritabilitatis ipsa, quamquam morbos psychicos separandi et describendi studium valde sublevant, nullo modo satis explanata sunt et confirmata; quamobrem necessario illa cum primaria quadam materiae ipsius mutatione conjungi oportet, quae etiam sola therapiam rationalem indicare potest. Etiamsi altera ex parte in disciplinis huc spectantibus permulta non satis dilucidata sunt, et studium et diligentia in arte cadavera secandi interdum frustra cedunt, altera tamen plurimae observationes anatomiae pathologicae magna erudi-

tione confirmatae multo magis ad perversam quandam materiae alterationem eruendam incitant medicum, quam argumenta irritationis tam vaga atque incerta, modo de depressa, modo de adacta irritabilitate, modo de perversa irritamentorum ratione fabulantia. Mittamus igitur haec nomina, ad therapiam morborum psychorum recte et perfecte instituendam non satis idonea, quum systematis nervorum perturbationes ex affectione quadam materiae corporis ipsius exortae sola ejusdem materiae organicae curatione averti et sublevari possint. Quomodo morbum somaticum nunquam inveniri posse statuimus, quin simul vim nervosam attineat, eodem omnes mentis alienationes una cum materiae corporis ipsius perturbatione necessario conjunctae sunt, nam morbi psychici, vel psychoses eo solum a ceteris neurosibus differunt, quod in illis psychicæ magis, in his organicae, sensibilis et motoricae nervorum alterationis symptomata aperiuntur.

Itaque therapia rationalis et affectiones plane morbos et leviores perturbationes organorum praeteritas respicere atque removere studeat, aut, illis non satis apertis, permultare totam corporis constitutionem alienatam, quae jam sponte et psychica et somatica semper exhibetur. Praeterea autem psychicas alienationes curanti semper permulta illae et variae morborum corporis mutationes caute observandæ sunt, unde istae evaserunt, ut formæ perturbationis mentis primariae a secundariis distinguantur, quae quidem simul e corpore originem ducunt, altamen aliae aliis conditionibus aliisque materiae mutationibus apparent. Quod ut clarius eluceat, exemplum apponamus.

L. P. . . . . anno 1788 in Helvetia natus est. Pater,

vir iracundus et vehementissimus obiit sexaginta fere annos natus. Jam ob origine mutilus fuit brachio sinistro multumque vexabatur hepatis affectionibus. Mater, mulier perurbana septuaginta fere annorum mortem occubuit. Dispositio ad mentis alienationes hereditaria satis constabat in familia aegroti, cui duae erant sorores et frater. Quarum altera quum de vita decessisset, sectione amplitudo hepatis multum adacta et cerebri partes internae emollitae inveniebantur; antea jam diu de vehementibus capitis doloribus conquesta erat aegrota. Alteram adhuc vivam mulierem hystericam esse narratur. Frater quodam hepatis morbo animam efflavit. A parentibus locupletissimis exortus per multos annos iste summis civitatis muneribus et in exercenda re militari et jurisdictione administranda fungebatur; fuit enim cohortis tormentariae praefectus summique judicij praeses. Quamquam valde libidinosus, bona tamen valetudine semper utebatur, usque ad illud temporis spatium, quo ante octo fere annos subito apoplexia sanguinea correptus de muneribus illis decessit. In matrimonium duxit feminam per duodeviginti fere annos mente captam, ex qua liberos quatuor genuit. Aegrotus jam a pueritia vehementissimi ingenii, homines imperio suo traditos in servitutem quasi abduxit, etiam si alios munere maiores summo afficiebat honore iisque pergratus erat. Magna ingenii celeritate et acumine et subtilitate judicandi et cognoscendi plurimum apud alios valebat. —

Apoplexiā secuta est hemiplegia lateris sinistri corporis, ex qua deinde eatenus convalescebat, ut ambulare quidem neque vero brachio morbo affecto uti posset. Denique epilepsia afficiebatur, quae, quum multos in aegrotum impetus

fecisset ante duos fere annos, omnino evanuit. Ille et quum nihil unquam agere ac moliri posset, et cerebri ipsius perturbatio jam persisteret, mente turbatus et morosus erat magnoque in deum et homines odio captus. Ante tres jam annos interdum consilio medico utebatur et conditio corporis turbata in his praecipue affectionibus adversis versabatur: brachium sinistrum propter hemiplegiam omnino claudum erat et aegrotus ejusdem lateris pede valde debilitato difficillime ambulabat. Praeterea hepate tumido et affectionibus ictericis valde vexabatur; color flavus, concoctio turbata, appetitus ciborum immunitus, excretio alvina irregularis, nec deerant haemorrhoides coecae. Animo semper ita afflito, interea judicium plane alienatum se praebebat, ut per longum tempus aegrotus a muliere quadam, quae per somnum se omnia perspicere confirmabat, deciperetur, quamquam istam summa fallacia uti clare demonstrabatur, et illius consilio per annum ducentas fere hirudines ad anum adhiberet. Porro nonnunquam in sermone et cogitatione aberrabat et ab alia in aliam sententiam repente transibat. Mensibus anni praeteriti primis, quum aegrotus magis mente captus et alienatus esse videretur, consilio medico utebatur. Recentissimis autem adhuc temporibus semper libidinosissime ac sordidissime cum meretricibus undique concitatis versabatur. Praeterea pacem in Helvetia confidere strenue studebat, ut adeo viros permultos et rei publicae administrandae peritos undique in consilium convocaret, nonnullisque eorum munera ampla assignaret et jam de solennibus pace confirmata instituendis cogitaret. Tum ejusmodi consiliis occupatus, etiamsi antea temperans ac moderatus, quotidie Baccho effrenate indulxit. Perturbatis ita abdominis functionibus animoque

turbato, quum aegrotus primum per nonnullas hebdomas  
valde irritatus esset, duodecim sanguinis unciae, vena secta,  
profluebant; deinde vero, corpore ipso plane collapso, organa  
antea jam laesa quam maxime debilitabantur et defatigabantur.  
Paulatim vero vires in meliorem quandam conditionem redie-  
runt, sed insomnia magna restabat. Medicamina salina et rheum  
atque interdum morphium aceticum una cum pediluviis illo  
tempore praescripta sunt. Ejusmodi conditionibus aegrotus  
in morotrophium Siegburgense receptus est.

CONDITIO AEGROTI IX. CALEND. JUN.

A. Somatica.

Aegrotus, mediocri statura, habitum praebebat, qui organa  
abdominalia valde perturbata esse clare monstrabat. Color  
flavus et partes corporis sinistram hemiplegia ista ita affectae,  
ut aeger nil unquam moliri posset brachio sinistro, quod frigi-  
dum relaxatumque plerumque pendebat a latere; eadem ratione  
crus sinistrum difficillime commovebatur, quod tamen aegrotus  
post se trahebat. Quamquam illud tempore vespertino omnino  
oedematosum erat, maxime tamen pes affectus fuit; quum autem  
aliquamdiu porrectus esset, tumor evanuit. Habitus morbosus  
et inertia et gravitas corporis ipsius et facies tristitia quadam  
alienata hominem valde debilitatum et corruptum indicabant,  
qui moerore afflatus se anteas facillime itineris labores superasse  
et tunc ne custode quidem ducente ambulare posse saepius  
enarravit. Corpus male nutritum erat; fuit centum et unde-  
viginti librarum.

Caput magnum altumque et partes faciei et cranium ipsum  
ad normam recte conformata; neque occiput valde prominens

neque omnino capitis impressiones apparuere. Comam nigram cum alba mixtam, qua magna cranii pars denudata erat, et vescitum summa cum diligentia curabat. Partes capitis capillosae pityriasi furfuracea affectae erant. Color faciei nunc flavus aut luridus, nunc ruberrimus, quum aegrotus irritaretur. Frons alta et lata ejusque cutis rugis profundis contracta. Oculi languidi nec splendidi, fere illis mortui similes apparuerunt. Iris griseo-viridis parum pro lucis vicibus afficiebatur, ita ut vix contraheretur; pupillae valde coarctatae. Supercilia nigra, densa et longa, oculorum bulbos obumbrantes. Nasus magnus, latus, saepissime majore sanguinis copia injecta ruberrimus. Epistaxis, qua multum antea aegrotus vexabatur per multos jam annos omnino decesserat. Aures permagnae, earumque sordes large secernebantur. Bene aeger audivit. Labia, quum aegrotus anxietate quadam, aut scrupulo cruciatur, ut spasmis contracta. Odor malus oris primis morbi temporibus observatus una cum appetitu ciborum imminuto, aut recusato per nonnullas hebdomas. Dentes bene conservati. Oris tunica mucosa et in posterioribus faucium partibus sita non destruta et ad normam tincta. Lingua magna et lata, ad marginem dentium impressionibus obsignata. Aegrotus, quum ederet, aut potionem caperet, imperitissime agebat et quum cibos violenter devorasset, valde conquerebatur, quod illorum ardore pharyngem laedi oportuisset. Pariter nunc nutrimenta desideravit nunc desiderata recusavit.

Venae jugulares compressione non instituta jam plane prominentes; arteriae carotides fortissime et vehementissime pulsantes, clare et in dextero colli latere polissimum sonantes. Columna vertebrarum non dolorosa, attamen medullae

spinalis conditio non satis explanata. Thorax adversus ceterum corpus brevis, parum cameratus et macer et in spiritu trahendo non satis elevatus. Respiratio levis et ab aliis fere non sentienda et observanda; sonitus ejusdem lenis, submissus et murmurans. Percussio pectoris plerumque strepitum nec plenum, nec sonorum reddidit, neque vero ita resonabat, ut partes quasdam pulmonum manifesto morbo jam affectas esse putare licaret; neque dyspnoea, neque tussis aegrotum vexabant. Impulsus et singuli cordis ictus regulares, sed maxime debilitati erant et in regionibus illi propinquis solum audiendi. Pulsus cordis nunquam sponte praeter normam acceleratus exstitit, neque quum aegrotus ex consuetudine ambularet. Abdomen quamquam nonnullis horis post prandium interjectis, explorabatur, tensum erat et durum et tam difficile comprehendendum, ut amplitudo organorum, in regionibus hypochondriacis collocatorum inveniri et accurate cognosci non posset. Hepar circiter 4—5“ altum esse videbatur. Alvi dejectio semper irregularis et retardata, plerumque elysmate ad vesperam quotidie exhibito siebat. Faeces ipsae tum exiguae, globosae et durae, tum molles et faeculentae, sed semper colore subnigro et cum cibis nondum coctis mixtae erant. Orificio ani clausum, neque nodi haemorrhoidales inveniebantur. Summo labore aegrotus urinam reddidit et ita quidem, ut membrum virile parvum et rugosum primum valde intumesceret et longius fieret, tum vero mora nonnunquam interposita lotum mitteretur. Ira et magna sollicitudine aegrotus affectus erat, quum subito interdum faeces et urinam in vestes dejecisset. Urina aegroti, qui antea indigestione magna laboraverat et emeticum sumserat, subflava, clara, acide reagens, sed parva

solidarum materiarum copia et sine albumine et saccharo. Aegrotus, quum de coēundi appetitu interrogaretur, plane pudore et iracundia afficiebatur, aliaque disserere studebat.

Musculi tenues et languidi, omni pingui desperdito; turgor vitalis nonnunquam ad normam fervidus atque solidus. Cutis et brachii et pedis sinistri magis frigida quam latere corporis dextro; ardor autem cutis frontalis vespere praecipue adactus. Pulsus arteriae radialis dextrae semper tensus et plenus, sinistrae multo debilior erat, sed eundem semper rhythmum exhibebat. Illa matutino tempore 75 ictus, vespertino 80 reddidit. Arteria carotide compressa mox facies valde rubescet et respiratio magno labore afficiebatur, sed pupillae eodem modo coarctabantur. Somnus semper inquietus et interruptus, nec jacebat aegrotus nisi latere sinistro. Ferme semper adversam valetudinem lugebat.

#### B. Psychica.

Aegroti mentis alienatae conditio, quum maxime usque permutteretur, difficile nomine quodam in medicina nunc usitato nuncupari poterat. Plerumque aegrotus valde incitato et exaltato animo et tum quidem per molestus erat, nec unquam contentus; sed semper alia, aliis impetratis, optabat. Altero pede claudicans ad portas cubiculorum aliorum se contulit, vicinos provocavit multisque vexavit ineptiis. Similiter modo corporis animique relaxandi causa excurrere, modo domi manere volebat, quum vires admodum afflictæ et infirmae essent; porro custodibus interdum fidem non habebat et homines istos fallaces increpabat; eosdem nunc verbis gravissimis castigabat, nunc iterum in fidem et amicitiam reductos, ut viro aetate provecto

et adversa valetudine corrupto veniam darent, rogabat. Quum interdiu ita exaltato animo fuisse, somnus quidem per noctem fere semper turbatus erat, ut aegrotus plura garriret, deinde e lectulo surgeret et nonnunquam in febrem quandam leviorum, magna cum sollicitudine artuumque tremore, praecipue lateris sinistri conjunctam incideret. Aliis vero temporibus animus depresso et melancholia ita perturbatus apparebat, ut aegrotus vix salutare auderet medicum. Tum dulcis et amabilis summa cum benevolentia unumquemque tractabat. Primum animi et exaltatio et depresso in vicem quotidie succedere videbantur, deinde vero typo quodam non separandae. Denique interdum unam eandemque sententiam ex dementia profectam summo studio defendit, ut saepissime, quod fame conficeretur, conquesitus sit. Quamquam autem ita usque de vita sustentanda valde sollicitus erat, nonnunquam tamen ad disputationes sermonesque sententiarum praestantia excellentiores instituendos animo commovebatur, illosque summa modestia et urbanitate semper explicabat. Cujusvis fere animus, quum aegrotus se hominem infelicem, dementia correptum esse aliisque furentibus, quos tempore quodam diurno observare posset, multum invidere affirmaret, itaque se adversae valetudinis naturam demonstraret quodammodo bene intelligere, misericordia afficiebatur. — Vox nunc aspera et vociferans animo incitato, nunc lenis, submissa et vix audienda, quum medico id ille, quod optaret, magna cura portisque clausis ad aurem insusurraret. —

Quae igitur corporis et mentis conditio quum primo tempore, quo aegrotus in morotrophio Sieburgensi versabatur, inveniretur, aetiologya et diagnosis ita explanata est, ut primum morbum hepatis et systematis nervorum, praesertim

cerebri hereditate et a patre quidem acceptum esse, statueretur. Latus corporis sinistrum, ut patris non ad normam conformatum, sic filii non satis firmum, sed debile et claudum. Ejusdem ingenium a pueris jam violentissimum, nonnunquam fere tyrannicum, potissimum ab hepatis functionibus jam antea perturbatis, deinde ab alienata organi illius materia ipsa et a digestione simili modo alterata et morbo haemorrhoidario serius exerto originem duxisse medici omnino suspicabantur, nec minus credebant, voluptatem libidinosam et flagitia aegroti accusanda esse, qui, quum ab uxore jam diu mente capta discessisset sceleribus non repudiatis systema nervorum quam maxime diruisset. Tali modo, quum anni climacterici jam adessent, ante octo fere annos primum cerebri paralysin et apoplexiā quidem sanguineam exortam esse. Epilepsia per plures inde annos saepe observata curaque ad morbum haemorrhoidarium sublevandum vitiōse instituta (hirudines permultae ad anum applicatae et venae sectio facta) animo ipso jam senescente, mentis alienationem perfectam et primam quidem ante tres annos, secundam vero multo majorem anno praeterlapso provocasse videbantur. Judicium medici cuiusdam Basileensis, materiam cerebri ipsam mutatam et quadam ex parte sanguine effuso emollitam insaniae causam esse probatum est. Hemiplegia lateris sinistri cerebrum dextrum potissimum alienatum indicari et sanguinis copiam adauictam et meninges coalitas esse credebatur et iride difficile se contrahente et dysuria et motu peristaltico retardato conditionem nervorum depravatam, aut „paralysie générale“ a Franco-Gallis dictam paene significari.

Prognosis mala putabatur, quum facillime aut apoplexia

cerebrum iterum invadere, aut hydrops universalis corpus omnino diruere posset.

Nunc paucis verbis principalia diarii momenta de conditione aegroti et psychica et somatica conscripta referre in animo est.

A. 1847 Jun. 3. Clysmate alvus soluta; appetitus ciborum bonus, somnus valde turbatus.

— 5. Somnus melior, tremor artuum per noctem deerat; aegrotus, quum iter longius fecisset, valde fatigatus erat.

— 11. Somnus per noctem omnino deerat; alvus non nisi clysmatis applicatis dejicitur.

— 23. Symptomata indigestionis, magna nausea; remedium vomitorium porrectum.

— 25. Alvus parum soluta, sed lingua pura.

Jul. 21. Per nonnullas hebdomades, quum aegrotus tinet. cantharidum cum decocto rad. althae. conjunctam et pulverem cum belladonna, rheo et tartaro dep. paratum sumisset, per noctem plerumque bene dormivit, quotidie alvum ad normam dejecit, interdum laxavit; pes sinister nonnunquam oedematosus.

Aug. 5. Vires ita exhaustae, ut aeger in lectulo se continere deberet; propter diarrhoeam medicina non utebatur.

— 8. Vim custodi attulit, quem primo impetu in se incurrisse calumniabatur.

— 15. Quotidie magna cum delectatione jumentis vectus est. Alvus iterum obstructa non clysmate, sed medicina illa seposita solvenda. Semper aegrotus custodes multum vexat.

— 30. Aegrotus cum medico quodam visitante lingua Italica confuse disserebat, quod Tuscorum sermonem solum didicerat.

— 31. Summa diligentia Helvetiorum res gestas indagavit medicumque de nobilitate illorum erudire studuit.

Spt. 23. Tussi per nonnullos dies vexatur.

Nov. 19. Pilulae cum chinino sulphurico et rheo et belladonna paratae praescriptae sunt.

Dec. 17. Alvi dejectio fere semper retardata. Aegrotus multo minus sui conscius. De frigore conquestus est et de malo ciborum appetitu; lingua fuit sordibus valde inducta, pulsus plenus, non frequens.

— 18. Alvus tensa, urina non sponte reddita; pulsus durus; vertigo et capitis dolores. Cataplasma in alvum frustra adhibita sunt et elysma applicatum. Ab hoc inde tempore urina non nisi instrumenti ope reddita est.

— 23. Pes et brachium lateris sinistri saepe convulsionebus jaclantur. Aegrotus infusi sennae compositi dosin accepit; decubitus in inferiori columnae vertebrarum parte jam incipit.

— 24. Alvus iterum obstructa et elysmate cum natro sulphurico pilulisque cum aloë paratis demum soluta.

— 29. Aegrotus, quum vestiretur, anima defecit et corruit; tinct. valeriana aetherea praescripta est.

A. 1848. Jan. 9. Alvus per plures dies adstricta; crus sinistrum valde oedematosum; urina sedimentum mucosum praebet. Itaque primum aegrotus pilulis cum rheo et tinct. cantharidum, deinde cum aloë luc. et calomel. paratis utebatur.

— 17. Decubitus adactus plumbo tannico tractatur.  
Praeterea pilulae cum rad. scill. et aloë et extracto millefoli paratae adhibentur.

— 20. Tali modo vires magis magisque languebant.

Feb. 4. Aegrotus matutino tempore valde morosus fuit et querulus, altamen magis sui conscius. Vespere autem, quum custodes eum in lecto collocarent, repente collapsus est. Medici eum mentis non compotem et spiritum graviter reddenter inveniebant. Sudor frigidus in capite et collo. Tum liquore ammonii caustici adhibito aliquamdiu ita excitabatur, ut oculos aperiret, nonnulla balbutiret et aquam biberet. Attamen, postquam brachium sinistrum, ut convulsionibus affectum, paulum commovit, de vita decessit.

#### SECTIO, QUADRAGINTA FERE HORIS POST MORTEM INSTITUTA.

Primo corporis adspectu magnam esse inter utriusque lateris organa differentiam plane apparuit. Brachium dextrum firmius et crassius sinistro, crux sinistrum hydrope affectum et valde tumefactum. In regione vertebrarum sacralium decubitus permagnus et fere 2<sup>o</sup> et cutis illi propinqua multo liquore perfusa. —

Cavum crani. Quum cranium summo labore, quod intime cum dura matre conjunctum erat, apernisem, stratum magnum liquoris gelatinosi inter duram matrem et meninges infra sitas et super cerebrum dextrum explanatum conspiciebam. Pia mater atque arachnoidea crescendo tam plane implicatae erant, ut sine studio et cura e sinu gyrorum quovis

profundo extraherentur, nec unquam discerperentur. Itaque quum substantia medullaris cerebri detecta esset, facile intelligendum erat, cerebrum dimidium et latere quidem dextro depresso et omnino minore amplitudine esse, quam sinistrum, et illud quidem in medio potissimum collapsum. Ventriculus lateralis dexter valde explanatus et longitudine digitorum quinque, aut sex, liquoris clari et pellucidi cochlearia duo continuit. Strata medullae ventriculo proximae lenta et atrophia correpta. Corpus striatum et thalamus nervorum opticorum ejusdem lateris plani atque depresso magna ex parte propter pressum illius liquoris deperditi. Thalamus colore albido flave-scens. Substantiae medullaris partes illi subjectae, apoplexia jam memorata circuitu fere 2<sup>o</sup> destructae et colore flavo rubiginoso affectae apparebant. Quo loco cerebrum usque ad fundum et meninges inferiores omnino emollitum et devastated. Gelatina, quae cavo isto continebatur, microscopii ope indagaat eundem colorem multaque sanguinis corpuscula praebuit et nucleos subruberinos magnamque globulorum adiposorum copiam cum fibris cellularibus commixtam et permultis formis et tubularitis et sinuositas (quas vasa capillaria aneurysmatica esse Hasse et Koelliker arbitrantur) instructam. Fila quaedam ruberrima, non solum hoc cerebri turbati loco sita, sed etiam per aliam substantiam medullarem dispersa, quae quum diligenter perlustrarentur, facillime vasa sanguifera, permultis sanguinis corpusculis instructa cognoscabantur. Amplitudo vasorum sanguinis omnium, praesertim sinuum durae matris valde adaucta, et ventriculus lateralis sinister atque ventriculus quartus dilatatus et liquore plenus et ille quidem eodem modo, quo ventriculus lateralis dexter. Sed corpus striatum et thalamus nervorum

opticorum non permulatus. Glandula pinealis sanguine et arena abundans.

Medulla spinalis non emollita sed magna liquoris cum sanguine mixti multitudine circumdata. Columna vertebrarum in superiore parte praeter normam dextrorum curvata.

Cavum pectoris. Partes pulmonum ad marginem sitae emphysemate et oedemate, lobuli autem inferiores, praesertim in latere posteriore pneumonia hypostatica affecti. Glandulae bronchiales ad arteriae asperae bifurcationem dispersae induratae reperiebantur et amplificatae. Cor magnum et languidum, in superficie anteriore multo adipe instructum. Ventriculi ejus dilatati, valvulae non ossificatae; membrana autem interna aortae permultis nodulis atheromatosis exstructa. Abdomen. Hepar longitudinem pedis adae quabat, non multum sanguinem continebat; partes illius inferiores induratae et flavo praecipue colore et stridentes, quum searentur. Vesicula fellea vacua; lien justo paululum major, pulpa emollita, corpora Malpighii satis conspicua. Vesica urinaria ampla, lotio turbido impleta, pelves renales aequo modo dilatatae.

Restat jam, ut momenta quaedam graviora magisque praestantia animadvertam, quae in morbo isto dijudicando potissimum occurunt. Primum igitur dispositionem aegrotandi hereditariam plane confirmatam respicimus, qua pater filiusque eadem fere ratione instructi erant. Attamen dispositio ista non omnino ad mentis alienationes aberrationesque primarias tendebat, sed maxime organorum abdominalium, praesertim hepatis et tractus intestinalis perturbationes attinebat. Quae quidem ad animi imbecillitatem et alterationem pertinent, non

minoris momenti videntur; quamquam enim dispositionem istam morborum psychorum hereditariam ad totum sistema nervorum, praesertim ad cerebrum ipsum primum pertinere judicamus, tamen plurimis medicis somaticis, qui dicuntur, auctoribus jam diu constat, dispositiones quoque aliorum morborum hereditarias diligenter respiciendas esse, quae non primariam systematis nervorum affectionem conducunt, sed deuteropathicam cerebri ipsius aberrationem movent. Imo dispositionem illam morborum psychorum et tum quidem plane apparere statuimus, quum eodem genere cognati alii mentis perturbationibus, alii epilepsia, aut neuralgia quadam, alii hysteria, capitis doloribus aliquis affectionibus corporis gravioribus laborent. Itaque perturbationes istae organorum abdominalium patris temperamentum valde vehemens et fervescens reddebat, filii autem mentem, quum jam insuper alia incommoda devastationesque valetudinem diruisserent, omnino depravabant. Etiamsi enim apoplexiam primariam mentis alienationis causam fuisse putamus, illa tamen ipsa ad insignem organorum abdominalium valetudinem adversam, ad sanguinis venositatem adauictam et nervorum vim, vita libidinosius acta depravatam et debilitatam reducenda videtur. Tumor enim hepatis, affectio icterica, digestionis alterationes et appetitus ciborum imminutus et retardata alvi dejectio atque haemorrhoides coecae mentis alienationibus antecessisse narrantur, ita ut causae morbi, nec vero symptomata spectanda sint, quamquam altera ex parte dubitare non licet, quin affectiones istae cerebro deinde magnopere devastato adaugerentur. Nec minus animus aegroti antequam morbo omnino corruptus fuit, eandem patris similitudinem offerebat.

Eadem vehementior animi concitatio, eadem iracundia, eadem omnino morositas.

De adversa matris aegroti valetudine, praecipue de mentis ejusdem alienationibus, nil narratur. Quum vero plures ejusdem generis cognati morbis psychicis laborarent, etiam matris familia fortasse perturbationum psychicarum dispositione praedita fuerit, quam illa a majoribus ad liberos fere omnes transtulerit; nam sororum aegroti altera hysteria vexabatur, altera hypertrophia hepatis et cerebri emollitione; frater autem et iracundiam et temperamentum, quod dicitur, cholericum omnino semper praebebat. Filia quoque ejusdem adhuc propter hysteriam medicorum utilitatem consiliis.

Porro pari modo et patris et filii latus corporis sinistrum turbatum fuit et afflictum. Illi enim natu jam defuit brachium sinistrum, huic autem posteriori aetatis tempore tota fere ejusdem nervorum vis et movendi facultas. Quae quidem corporis conditio eandem fortasse cerebri dextri debitatem demonstrat.

Tum vero in hoc quoque morbo, ut saepius in mentis aberrationibus, permagnum discrimen vitae et libidinosae et sincerae respiciendum et secundum apertas morbi perturbationes dijudicandum est, quibus omissis facilius et vita et mores hominis probi gravissime vituperari possent. Itaque praecipue scelera magna, inhonestae et turpiae, quae posteriori aetate aegrotus commisit, multo magis symptomata mentis alienatae, quam alienationis causae ducenda sunt. Quum enim animi aberratio primum incipiat, vel potius stadium melancholicum ex organorum abdominalium disturbance natum ad maniacum tendat, saepius contingit, ut coeundi app-

titus adaugeatur aegrotusque impudenter onaniae indulget, aut in lustris aetatem consumat. Etiam si libidines in omni intemperantia effrenate effusae saepissime causae apparent, interdum conditiones magis remotae et alienatio quaedam nervorum et organorum genitalium jam dudum exorta primum accusandae. Onaniam solam commemoro, cui jam a pueritia nonnulli indulgent, aut anomalias psychicas interdum morbis genitalium localibus adhaerentes. Verum tamen flagitia ista atque voluptates libidinosas ad mentem aegroti plane alienandam vera plurimum valuisse haud minus judicare debemus, quum medullam spinalem jam aegrotantem semper magis diruerent et ad paralysin abducerent, quam propter magnam cerebri ipsius devastationem apoplexia exorta eo planius apparere oportebat.

Apoplexia autem causa morbi illius summa et proxima, eo potissimum animadvertenda, quod variarum alterationum, quae aut primario, aut posteriori morbi stadio apparebant, causas simul continet. Itaque quum cerebrum apoplexia nondum omnino devastatum esset, sed potius ad normam quodammodo redintegratum, altera ex parte cogitandi et judicandi facultas aegroti adhuc magis conservata erat, altera praecipue brachium sinistrum solum paralysi affectum. Deinde vero totum corporis latus sinistrum paralysi afflictum erat et intelligendi facultas fere semper eadem aberratione permagna correpta. Cujus quidem facultatis conditiones mutatae mutationibus cerebri ipsius evaserunt; deinde in illas cerebri partes apoplexia sanguinea dirutas, quum permulta insuper momenta adversaria totam aegroti constitutionem corporis jam fractam impugnarent, magna aquae copia effusa est, quae

cerebri substantiam emolliebat atque tollebat. Quae igitur cerebri conditiones causae proximae fuerunt et magnae mentis atque ingenii imbecillitatis et paralysis ad conditionem denique „paralysie générale“ nominatam vergentis. —  
Licit causam principalem maximeque reprehendendam, quae, quum apoplexia quodammodo sublata atque curata esset, deinde perfectam cerebri devastationem magnamque totius corporis debilitatem reddebat paucis verbis perstringere, multorumque medicorum judicium et studio et eruditione probatum repetere. Sanguinis missiones, quae sine causa atque ratione justa contra omnes fere animi et mentis alienationes saepius adhuc instituuntur, refuto. Ille quoque aegrotus haemorrhoidarius et venaesectionem adhibuit, et permultas hirudines paulatim ad anum applicavit. Quum vero sanguinis missiones cum successu quodam et utilitate contra morbos psychicos instituere velimus, semper et animi et corporis conditions causaeque illarum cautissime adjudicandae sunt. Contra psychicam quandam affectionem tum solum venam secare interdum licet, quando inflamatio organi cuiusdam vehementior aut hyperaemia adest una cum totius corporis plethora conjuncta; derivatoria potius quae dicuntur, medicamina alia adhibenda sunt, quae et affectionem istam localem tollunt et eandem sanguinis copiam non adauictam, sed organo illo forte comprehensam et corporis nutritioni necessariam conservant. Nam in omnibus fere affectionibus maniacis, quae plurimum medicos nonnullos ad venaesectionem instituendam incitare videntur, sanguinis circulatio modo mitiganda et ad normam reducenda est. Dubitare enim non licet, quin mentis alienationes plerumque adversa aut disturbata corporis nutritione et anaemia

exortae, venaesectionibus maxime adaugeantur. Eadem ratione et aegroti illius melancholia repente in vehementissimam maniae formam abiit. — Praeterea autem in hisce morbis psychicis cerebri aut meningum inflammatio ne ita quidem suspicanda; cerebrum enim alterationibus psychicis turbatum rarius apoplexiis ex hyperaemia ortis corripitur, quam bene instructum et validum.

Mittamus igitur methodum curandi fere semper adversam et infelicem, aut thesibus de inflammatione a priori jam collatis, aut argumentis anatomia pathologica indagatis, aut denique timore et sollicitudine nimis magna instructam et rarissime experientia et eruditione probatam. Quicunque maniam venaesectionibus semper tractare studet, illam fere nunquam curabit. —

## V I T A.

Natus sum Franciscus Hubertus Funcke, Wipperfürthensis, die VI. mensis Octob. a. MDCCCXXXIII. patre optimo Francisco et matre carissima Theresia e gente Wülfing, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidei adscriptus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus, per tres annos progymnasium patrium frequentavi; deinde gymnasium Coloniense adii directore Cl. Birnbaum, cuius memoria propter benevolentiam et humanitatem, qua omnes discipulos amplectitur, ex animo mihi nunquam excidet. Testimonio deinde maturitatis instructus sub finem mensis Octob. a. MDCCXLIII. Bonnam me contuli, ibique a rectore magnifico Ill. Bleek in numerum civium academicorum receptor, apud Ill. Nasse, ordinis medicorum gratiosi decanum spectatissimum, nomen professus sum.

Professores, quorum scholis et exercitationibus practicis per octo semestria interfui, sunt: van Calker, Pluecker, Goldfuss, Treviranus, Noeggerath, G. Bischof,

Mayer, Weber, Budge, Naumann, Albers, Heinrich,  
Hoppe, Kilian, Wutzer, Nasse, E. Bischoff.

Triennio academico absoluto per annum Bonnae chirurgus  
voluntarius duce Cl. Dr. Kallmann merui. — Tum ineunte  
mense Octob. a. MDCCCXLVII. morotrophium Sieburgense  
petii ibique per octo fere menses assistantis medici secundarii  
munere functus sum.

Quibus viris omnibus optime de me meritis debitas gratias  
habeo semperque habebo, imprimis autem Cl. Jacobi, moro-  
trophii Sieburgensis directori, propter egregiam quam mihi  
praestitit benevolentiam atque humanitatem.

Initio mensis Junii Berolinum me contuli et tentaminibus  
tam philosophico quam medico atque examine rigoroso coram  
gratiosa facultate medica absolutis, spero fore, ut, dissertatione  
thesibusque palam defensis, summi medicinae et chirurgiae  
honores in me rite conferantur.

## THESES.


1. Omnes morbi materiales.
  2. In medicina theoria experientiae, nec vero experientia theoriae accommodanda est.
  3. Est superfoetatio.
  4. In castratione ligaturam totalem funiculi spermatici partiali preefero.
  5. Medicum licet mentiri.
  6. Lupanaria publica in urbibus magnis necessaria.
  7. Antylli methodum aneurysma curandi praestantissimam censeo.
-

Mayer, Weber, Bu  
Hoppe, Kilian, Wu

Triennio academic  
voluntarius duce Cl. D  
mense Octob. a. MDC  
petii ibique per octo fe  
munere functus sum.

Quibus viris omnibus  
habeo semperque habeb  
trophii Siegburgensis d  
praestit benevolentiam

Initio mensis Junii  
tam philosophico quam  
gratiosa facultate medic  
thesibusque palam defe  
honores in me rite con



492

Patch Reference numbers on UTT

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.

*teo episcopu*

*episcopu p.*

*presidium*

MBL 001952

940